

OLIM.  
 DOCTRINA. INGENIIQ. CVLTV. MAGISTRO.  
 CVRA. ANIMIQ. ADFECTV. PATRI.  
 SVO.  
 OMNI. OFFICIO. AC. PIETATE. ETIAM.  
 POST. CINERES. SANCTISSIME.  
 COLENDO  
 HAS. LIBELLORVM SVORVM.  
 PRIMITIAS  
 EX. PRISCA. FORMVLA.  
 D. D. D.  
 MENTEMQ. MAGISTRO. GRATAM.  
 TESTATVRVS.  
 HANC. VELVTI. TABVLAM.  
 SCHMIDIVS. QVOD. EST. SI.  
 QVID. EST. WEISIO. DEBET.  
 IN  
 SACRO. D. MEMORIAE. FANO.  
 AD  
 RELIGIOSAM. PIETATIS.  
 ARAM.  
 L. M. Q.  
 SVSPENDIT.  
 DISCIPVLVS.  
 MERITORVM. IN. SE. COLLATORVM.  
 SEMPER. MEMOR.  
 M. SAMVEL. SCHMIDIVS.  
 ZITTAVIA-LVSATVS.  
 ILLVSTRIS. QVEDLEI. RECTOR.

Monumentum isthoc est aere perennius; causa imo vera & bona, quam, ut iustitiam, Dedicationis meae probem, reperio. Accedit denique, nunc SCHMIDIO obtigisse, quod ELIAE WEISIO, parenti TVO, quem TVte Autoritate publica emeritum & Scholastico munere laudabiliter defunctum Oratione de Emeritorum felicitate renuncia- sti; nuper enim Quedlinburgi ex Illustri Arbitrio merere desuit SCHMIDIUS Zittanus. Rara oppido sorte, quae raros & eximios requirit Patronos, rariorem arguit fidem, & rariore decoranda est monumento, unde videlicet dimanant & prodeunt monumenta alia. Habeo id mihi assentientem TE, Amplissime WEISI, qui copiosissime scribendi artem intelligis penitus, & hac quoque communem Tibi peperisti famam: nec ego quasi in tabella denotare recuso monumenta, quae de Roeseriano Monumento, Dedicatione, Oratione & Programma- tis queant derivari. Monumentum enascitur & designatio Ephorum, qui Scholarum fuerunt Magistri, & quantam hi teneantur operam impendere, ipsi norunt omnino. Monu- mentum hinc enascitur Orationum Inauguralium; tales TVtemet edidisti A. 1678. in Ingressu Zittaviensi, A. 1679. in Officium Collegae Tertii, & A. 1684. in Conscientiam Praecepto- rum; duas nobiscum communicavit Cl. Grosserus: & mea de Monumento GEORG- ERNESTINO Schleusingae, qua A. MDCXCVI. spartam Rectoris auspiciatus sum, op- portuno tempore, quod nempe Gymnasii spectat honorem, est exitura. Monumentum adest  
 Re-